

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. Terenti Varronis de lingua Latina quae supersunt

Varro, Marcus Terentius

Lipsiae, 1910

Praefatio

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-3107](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-3107)

PRAEFATIO

Casu fere factum est, ut societatem ad Plautum recensendum olim a RITSCHelio praeceptore dilectissimo iunctam ad Varronis libros de lingua latina transferremus. Nam cum alter nostrum bibliopola se ad editionem bibliothecae Teubnerianae inserendam obtulisset, comperit de hac re ei modo convenisse cum altero. Vnde communionem in hoc quoque negotio inire placuit: neque piguit nos novi amicitiae documenti, etsi haud paucis de locis acriter inter nos pugnavimus, donec aut alter alteri cederet aut novam omnino opinionem conciperemus aut admissio 'non liquet' in medio rem relinqueremus. Neque distinguere volumus inter utriusque conamina, quo apertius prodamus nihil nos posuisse, quod non aliquo modo admitti posse concedamus, simulque ut inventis inventionisque laudi nos non nimium tribuere significemus.

Sed progrediente negotio a recognitione, de qua ab initio uterque cogitaverat, ad maiorem editionem curandam proveci sumus. Nam et nova codicis Laurentiani collatione opus esse intelleximus et multum iuvari verborum tam interpretationem quam constitutionem adscriptis 'testimoniis': sub quo nomine comprehendimus non tantum locos a scriptoribus disertis verbis ex Varrone exhibitos, qui pauciores sunt, verum etiam locorum parallelorum atque *ὁμοιοτήτων* copiam; ubi potiora excerpimus, reliqua tantum indicavimus. Neque dubitamus, quin sat multa huic apparatusi addi possint, cum sero his testimoniis conquirendis operam dederimus. Sed vel sic multum inde se lucrari posse facile intellet qui locos quibus ad 'testimonia' provocavimus cum priorum commentis comparaverit: e quorum magno numero non pauca consulto omisimus, quae ex uberiore Spengeliorum apparatusi adseisci possint. Denique et prolegomenis uberioribus et adnotationibus adiunctis et indicibus auctis pauloque aliter conformatis opus esse putavimus.

Reliquorum Varronis scriptorum grammaticorum fragmenta addere cum ab initio constituerimus, non destitimus ab hoc consilio, quamquam et Funaioli interim haec inseruit volumini priori Grammaticae

Na. 1177. 2. p. 11
1910/1367

Romanae Fragmentorum a. MCMVII et Wessnerus mox, ut speramus, inseret omnium Varronis reliquiarum collectioni. Nam nihilo minus optime adiungi fragmenta libris servatis de lingua latina sensimus. Ac nostra opella quomodo se habeat cum ad Funaiolii recognitionem tum ad fundamenta a Wilmansio praeclarissime iacta in adnotationibus breviter illustravimus neque uberius de hac parte in prolegomenis agere in animo est. Quod saepius numeris Wilmansianis usi sumus — quos nostris sub his uncis () adscripsimus ut sub his [] Funaiolianos —, conspectum numerorum p. 242 dedimus.

Magnam spem inde conceperamus, quod et Georgius Wissowa et Franciscus Skutsch viri doctissimi nobisque benevolentissimi plagularum relegendarum negotium in se suscipere animum induxerant. Vnde in primis foliis comparent egregia quaedam utriusque commenta (sub siglis *Wi* et *Sk.*). Sed cum praeter consueta munera plurima et gravissima alter rectoris alter decani dignitatem eo ipso tempore acciperent quo plagulae ex prelis exirent, desistere ab hoc auxilio coacti sunt: quod cum nos doluimus dolemusque tum lectores nobiscum et ante omnes Varro noster querentur. Neque Paulus Wessner (*We*) qui operam a nobis in Donatum suum impensam quodam modo reddere volebat propter loci munerisque permutationem simul factam eam quam speraverat opem plene dare potuit. Denique Adolfus Groth ubi ex Teubneri nuntiis comperit hos libros nos edituros esse, nobiscum communicavit quae olim ad multos locos sibi adnotaverat: unde quod pauca tantum commemoravimus, ipsius praecepto obsecuti sumus. Nihilo minus et his viris gratias ex animo agimus et qui praeterea nobis usui fuerunt omnibus — quo in numero hoc loco etiam Ernestum Diehl collegam esse monemus, infra Hieronymum Vitelli amicum laudamus — simulque veniam petimus, quod quamvis multum temporis et toti huic editioni et ipsi correcturae impertiverimus, tamen ab erroribus cavere non valuimus, quos quoad fieri potuit in Addendis et Corrigendis notavimus.

Dedimus Ienae et Heidelbergae m. Novembri a. MCMIX.

G. G. F. S.